

NUMMUS CASTRENSIS
COSMI MEDICI, DVCIS FLO-
rentini: Cusus durante obsidione Senensi:
Anno Christi 1555.



Enenses graviter à Cæsarianis obsessi (obsidionis causa ex Historicistibi nota est, Lector amice) quotidie multiplicatis munitionibus magis magisque premebantur, ut mira esset omnium rerum victui necessarium penuria. Licet autem sollicitarentur obsessi, monerenturque per literas Ducis Hetruriae, ut se Cæsari dederent: nec expectarent acerbissimam victoriæ, quæ vel moderatissima valde solet esse insolens: tantus tamen erat pristinae conservan-

dæ libertatis ardor, ut neque consilia amicorum, neque inimicorum minæ quicquam proficerent. Marinius tam obstinatos esse sentiens, nova tormenta imperat attrahi Florentiâ, atque ad eam partem murorum dirigit, quam Pius secundus Pontifex reficiendam curaverat: quod illam putarat debiliorem: sed cum tanta esset obsessorum in restaurandis reparationibus adversus ruinas diligentia, ab incepto destitit. Tandem cum milites æquè atque cives victus inopiâ defatigati, afflictique non possent diuturnam obsidionem in ediamque perferre, ulterius certis conditionibus sese Cæsari dederunt. Cum verò intellexissent, urbem in potestatem Ducis Hetruriae, de Cæsaris consensu, perventuram esse, ita animo fuere perculsi & consternati, ut omnis ætatis homines, relictâ patriâ, paternisque sedibus una cum Gallicis præsiidiis exiverint: quippe cum nativa quædam æmulatione & malevolentia jam multos annos inter Senenses & Florētinos duraret. Quoniam verò multa oppida à Philippo Hispaniarum rege possidebantur in Hetruria, ita Anno demum 1557. compositares fuit, ut Cosmus Dux Florentiæ omnia Senensis ditionis possideret, præter Urbatellum, Portum Herculis, ac Telamonium. Inprimis autem ob perpetuas Turcarum incursiones Philippus Rex, & ante eum Carolus V. Cæsar urbem Senensem eidem Cosmo commendarunt, utpote cuius potentiam cognovissent, & industriam in omni genere publicæ administrationis. Illud enim mediocre solarium,